



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

§. 1. Probatur illa infallibilitas ex Scripturis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40853

CAPUT VIII.

Ostenditur Ecclesiam Romanam cum suo Capite esse Regulam animatam, & Iudicem infallibilem controversiarum Fidei.

Veram Christi Ecclesiam (quam solam esse Romanam supra ostendimus) non posse subsistere sine Regula & Iudice visibili controversiarum fidei, quo Sectarii omnes destituuntur, probatum est c. 3. 4. & deinceps. Nunc in eadem Ecclesia cum suo Capite reperiri Iudicem controversiarum fidei infallibilem paucis argumentis ostendemus.

s. I. Probatur illa infallibilitas ex Scripturis.

Illa debet esse infallibilis fidei Regula, cui Christus suam assistentiam promisit, ne possit in rebus fidei definiendis errare. Sed suæ Ecclesiae in Petro ejusque Successoribus talem assistentiam promisit. Ergo Ecclesia tam in Petro quam in ejus Successoribus debet esse Regula fidei infallibilis.

Probatur minor ex verbis Christi Matth. 16. Tu es Petrus & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Promittit igitur Christus se aedificaturum Ecclesiam supra fundamentum omnino firmissimum, quod labi & deficere non potest: deficeret autem si definiendo res fidei aliquando erraret, tota enim Ecclesiae integritas in integra fidei veritate consistit: hanc veritatem semel deficiente, ipsam Ecclesiam deficere necesse est. Promissionem hanc pergit argentissimis verbis iterum

iterum

iterum confirmare : *Et porta inferi non prevalebunt adversus eam.* Prævaleret autem potestas inferorum adversus Ecclesiam , si ullo unquam tempore in discernendis fidei controversiis in hæresim incideret , quod nunquam eventurum Christus apertè pollicetur.

Ex quibus manifestè sequitur , vel Christum in promittendo fallacem fuisse , quod impossibile est , vel Ecclesiam ab eo visibiliter fundatam nunquam in fide defecturam. Promisit enim fundamentum Ecclesiæ futurum stabile , & tamè fuisset labile , promisit portas inferi contra eam non prævalituras , & tamen de ea in errorem & hæresim prolapsa infernus triumpharet.

Hanc Ecclesiæ visibilis infallibilitatem ex his Christi promissis clarè intellexit , & declaravit Apostolus 1. ad Timoth. 3. *Vt scias quomodò te oportet conversari in Domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Si Ecclesia in qua oportet conversari est *columna* firma , imò ipsum *firmamentum veritatis* , quomodò potest in docendo à veritate fidei deflectere ? Si enim errori semel succumberet , hoc ipso lapsa & prostrata jaceret ; quam tamen ipsa Veritas, Petram fidei, ab inferis invincibilem, ipsam columnam, ipsum firmamentum veritatis appellat.

Ex his pari evidentiâ conficiuntur , Ecclesiam Christi semper fuisse *visibilem*. Nam eadem Ecclesia contra quam portæ inferi nunquam prævalebunt, diserte dicitur *Petra, columna, firmamentum*, quæ rem maxime visibilem ac sensibilem designant. Eadem à Christo comparatur Sagenaë pisces tam bonos , quam malos congreganti : ac Lucernæ super candelabrum , & Civitati supra montem positæ, Mat. 5. quibus nihil potest esse magis visibile. Ita intellexit , ita sen-
sit,

fit, ita loquitur primævæ doctrinæ testis August. de unit. Eccles. cap. 16. * Non est Ecclesia o-
 „perta, quia non est sub modio, sed super can-
 „delabrum ut luceat omnibus qui in domo
 „sunt; sed Donatistis velut operta est qui au-
 „diunt tam lucida testimonia, quæ illam toto
 „orbe demonstrant; & malunt clausis oculis
 „offendere in montem, quàm in eum ascen-
 „dere.

**S. II. Eadem infallibilitas Ratione manifesta
 comprobatur.**

Hæc ratio imprimis, independenter à Scrip-
 turis, hoc modo formatur. Ex miraculis &
 signis, quæ in Apostolis apparuerunt, certò
 constabat doctrinam quam proponebant fuisse
 certam & infallibilem, & ab omnibus meritò
 recipiendam, ut ipsi Sectarii admittunt.

Sed in nullo Apostolorum apparuerunt signa
 plura aut illustriora quàm ea, quæ supra cap. 3.
 demonstravimus de continuis miraculis, anti-
 quitate, amplitudine, unitate, perpetuâ succe-
 sione Ecclesiæ Catholicæ Romanæ. Ergo ex his
 signis ac testimoniis certò constat doctrinam,
 quam Ecclesia illa credendam proponit, certam
 esse & infallibilem. Ac proindè in materia fidei
 ejus doctrinam ac sententiam decisivam non
 posse sine scelere repudiari.

Idem sic ulteriùs demonstro, Deus non tan-
 tum verbis, sed etiam aliis signis ac miraculis ho-
 minibus loquitur, ac suam mentem manifestat;
 uti patet ex illis signis ac prodigiis, quibus Apo-
 stolos in novo, Moysen in veteri Testamento
 veræ fidei præcones esse declaravit. Jam verò
 Deus